

Q. D. B. V.

CHRISTVM
SCANDALVM
IVDAEIS
GRÆCIS
STVLTITIAM

EX I. COR. I. 23.

IPSO SOTERIORVM DIE

ANNO cœlo CCXX.

AB STVDIOSA IVVENTVTE
BREVIBVS ORATIVNCVLIS
DESCRIBENDVM

INDICVNT

ATQVE

REIPVBЛИCAE PROCERES MAECENATES
ET PATRONOS
ALIOSQ. MVSARVM FAVTORES
EA, QVA DECET, OBSERVANTIA
ET HVMANITATE
AD HVNC ACTVM INVITANT

EIVS MODERATOR

PETRVS IAENICHIUS
GYMN. RECTOR

ITEMQ. ET

PROFESSORES.

THORVNII,
Impressit Joan. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMNASII. Typographus.



Va culpa, non Dei voluntate homines plerosque spe salutis suae excidere, quis est, qui in tanta divinarum comminationum promissionumque in Scripturis factarum copia dubitare ausit? Habent quidem sua vafritie tumidae & ad fucum faciendum acutae nonnullae mentes, quod obvertant: Cur in persyadendo vim non magis efficacem adhibuit Christus: Cur non maioribus signis & sine exceptione manifestis suam divinitatem contra rabiem & crudelitatem declaravit: Cur resuscitatus in usitato miraculo a mortuis, non Pharisaeis, Synedrio, hostibusque apertissimis sese non stitit victorem mortis ad contundendam malevolentiam hominum nequissimorum: Cur hodie non vehementiori vi ac mediorum efficacia evidentiori homines moveat segnes excitet que lethargo quasi conseptulos? Et quae alia sunt aevi antiqui & recentioris profanorum hominum multa vanitate tumida commenta. Castigat ipsa divina sapientia hanc perversitatem per D. Paullum 1. Cor. I. 21. Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes, quando Iudei signum postulant, graeci vero sapientiam quaerunt. Vnde factum, ut Christus crucifixus Iudeis fuerit offendiculum, Graecis vero stultitia. Praeterquam autem quod Servator Sanctissimus magna & admirabili miraculorum multitudine se eum esse, quem sperabant, declaravit, ut vel ipsi Iudei de veritate eius convicti id faterentur Io. II. 18. III. 2. 23. 24. VII. 31. IX. 27. 30. XI. 47. nihilosecius tamen eos horrenda mentis obstinatio ad pugnandum contra apertam iustitiam incitabat. Quippe Deum ad leges suas compingere audebant & importuna curiositate sine fine miracula efflagitando lasciviebant, non quod fides miraculis corroboranda esset, quod in se culpandum non plane ex Gideonis & Ezechiae exemplo erat, sed quod sapientiae divinae praescribere modum & rationem cupiebant ceteris Dei signis alto supercilio posthabitis & cavillatione turpi labefactatis. Eccui autem tantae improbitatis culpa tribuenda? nisi eis, qui offendiculum patiebantur id esse, quod luculenter bonum, optatum & salutare apparebat. Inter est hic nostrae causae & instituto, de scandalo, quod & quale esse solet, annotare pauca. Dudum divinarum rerum interpres docuerunt & probe & accurate, id esse posse vel dictum vel factum: quod si hoc alioqui bonum alias alendae suae perversitatis, tanquam occasionem, obstetricante vel malevolentia vel invidia, arripit, acceptum vulgo scandalum vocari dicunt. Aliud esse, datum, quando improbitate exempli ad simile flagitium veluti pestilentiae contagio infectus aliis incitatur. Haec quidem notissima sunt, neque tamen minus & vera & divina auctoritate undique comprobata. Cum vero nulla tam sancte custodita veritas, torque stabilita argumentis evidentissimis, quam non audeat calliditas mortalium deterere, saltim non, allato Sapientiae melioris fuco, elevare, ita & hic nonnulli scrupulos praeter causam colligunt. Praeter alios Io. Ph. Tr. viro ceteroqui docto, sed ante aliquot annos propter menstruos ingenii luxuriantis foetus discrimen fortunae adeundi debuit Scandalum esse opinio de facto aliquo, ac, si sit contra leges. Si deinde haec opinio sit veritati conveniens, esse datum putat ille scandalum, et contrario ubi illa sit falsa, oriri acceptum, atque ita essentiale consequens esse indignationem ex facto, quod pro in honesto habeatur, ortam. At vero repugnat hoc notionis naturae, quandoquidem ex Grammaticorum sententia significet lignum incurvum, quo tendicula seu decipula sustinetur, cuius ope ruina illabentis animalis acceleratur. Sive etiam obstaculum impedimentumque denotat, aut aliud quid, in quod euntes impingere, damique sui & ruinae occasionem reperire possunt. Tralatitio sensu & morali non raro facer codex uititur, qui extra hunc non facile legitur apud alios Scriptores rerum profanarum. Vnde vis & significatio vocis quoque ex illius testimonio petenda venit. In primis, quantum attinet ad scandalum datum s. activum, quod pro ratione circumstantiarum modo levius modo gravius flagitium est, & detimento alii esse solet, non sane in sola opinione eius consistit, qui alterius exemplo & improbitate inductus labitur perniciossime. Nam revera illud malum in se est, accul-

pa in auctore rei pessimae residet, quare offenditio in altero suscitatur. Id sane ex offendiculo parvulis dato apparet, quod ne fiat, tam sedulam diligentemque curam omnibus iniungit Servator Matth. XlIX. qui parvuli non alii, quam tenerrima aetate sunt ac minime adulti, ut est nonnullorum praeter Scripturam literam disputatio inanis. Quippe adultos iubet Christus assimilari in consequenda aeterna felicitate pusillis: at quae fuisse comparatio, si per utrosque intelligendi essent, qui iusto rationis usu & robore aetatis gaudent. Luculentum igitur est, iudicio & aetate infirmos indicari, quorum animis, accurata iudicandi perspicacia destitutis, ne offenderentur, tanta gravitate mandati cavit. Hi vero quam facile quounque vitio, importuna levitate, lascivia, temeritate, aut praeter locum & ordinem instituto facinore ad peccandum incitari possunt vel ipsa experientia testis est. Qui quo magis imbecilles sunt, & rerum necessiarum ignari, hoc celerius aliquando eo rapiuntur ut applaudant ineptiis, vanissimis rebus & vitiis assentiantur, iisdemque inhaerendo turpissime delinquent. Ex quo patet, non in opinione iudicantis & indignantis scandali rationem versari, sed involvi id, quod opinionem excitare possit, certo tamen modo referri ad eum, cui vel revera vel sine causa damnum affert. Is autem, qui corrumpendae alii menti sua culpa occasionem praebet, facere hoc videtur vel omittendo vel committendo. Hac ratione id fieri solet, cum quis doctrinae errore, sententiis vanitate, simulandi dissimulandique fraude, tepore & frigore in sacris negotiis, christianaे libertatis violatione aut noxia morum turpitudine aliud in flagitiosum vitae genus coniicit aut errandi perversitatem. Neque minus struitur pernicies ei, qui alium neque Deo vocanti, aut magistratui imperanti iusta, obtemperantem, neque demandati muneris partes diligenter aut plane non, obeuntem, aut extra oleas vagantem intuetur suo damno. Sed hic ne longiores simus, ad nostrum institutum pertinet, ut tantum observemus de scandalis accepto. Id scil. sine culpa auctoris fieri, neque adeo ad offendendum alterum, praeterea quod res ut plurimum est nec improbe nec importune admissa, unde alius vel infirmitate vel malevolentia tunc offenditionis rapit occasionem, evidensissimum est. At est hoc modo scandalum aliud infirmitatis aliud malignitatis. Illud non raro Christi accidebat discipulis, dictis, factis, personaque magistri, vel per hebitudinem mentis vel langvorem vel anticipatarum opinionum errores offendit Matth. XXVI. 31. Act. XI. 1. 2. 3. neque & alii hoc periculo errandi & infirmitate carent, uti patet ex Rom. XIV. 1. 1. Cor. VIII. & IX. id ipsum, quo ex humanae conditionis imbecillitate solet oriri saepius, ita malignitatis scandalum provenit ex perversissima mentis improbitate quando re minus culpanda ingenia offenduntur suis vanitatibus plena & corrupta, aut supercilia malevolorum. Vnde hoc venit maxime Christo eiusque doctrinae inter Iudeos & Graecos annunciatæ. Neque haec rabies & animorum malignitas nostro cessavit seculo, quin plurimos adhuc hodie eadem veluti pesti afflatos esse etiam inter Christianos videmus. Erat haec doctrina Evangelii aliis scandalum, aliis stultitia, neque fere aliter isti generi hominum hodie pravis erroribus & superstitione imbitorum. Inter Christianos autem quid non hodie molitur & tentat contra simplicem puramque doctrinae coelestis veritatem vel nonnullorum tumor & supercilium vel aliorum effrenis audacia & insana temeritas in sacris iudicandi? Fugere haec possunt neminem, qui seculi mores, ingeniorum impetus & labem convellendi mysteria, fuitilesque profanorum conatus intuetur. Dedimus occasione dicti Paullini de his & aliis quaedam edifferenda Iuvenibus & adolescentibus nonnullis & probis & diligentibus, ingenii sui vires pericitaturis. Tantum iam optamus, ut pro sua iudicii aequitate & humanitate Auditores praesentes hosce perorantium conatus boni consulant: Reipublicae autem, Ecclesiae & Scholae pacem, gratiam prosperosque rerum & negotiorum successus ab DEO immortali ex animo expetere nobiscum contendant. P.P. Dom. Palm. A. d^o 10 CCXX.

Dicturi & dicenda.

Io. Sigismundus Bronikowski, Eqv. Pol. PROLOGVS,
Auditorum benevolentiam exorabit & de conversione
Iudeorum & gentium, an expectanda sit universalis non-
nulla differet.

Christophorus Hoffmann/ Guben. Luf. Scandalum Iudeis
 praebuisse humilem & vilem, qua voluit esse Christus,
 conditionem ostendet.

Ferdinand. Gottlieb Stiegler/ Ravicens. Pol. Verba faciet
 de abrogatione rituum & legis mosaici, quo offendeban-
 tur fastu turgidi Pharisaei.

Georg. Henr. Nissenbeck/ Holl. Prus. Scandalum Iudeis Chri-
 stum fuisse declarabit, quod ruentis politiae Iudaicae re-
 parationem intermisserit, Ro. vero Imperii approbaverit
 potestatem.

Io. Ernest. Günther/ Bromb. Pol. Differet de Gentilibus,
 quibus Christus videbatur stultitia, ob simplicem conci-
 onem de crucifixo per viles homines factam.

Daniel Schloß/ Thorun. Destructionem cultus idololatrici
 pluribus stultitiam fuisse dicet.

Carolus Gottlieb Vogetius, Gedan. De dissimilitudine Sa-
 pientiae Christi & gentilium philosophorum differet, un-
 de illa mysteria & doctrina ipsis stultitia videbatur.

Ioannes Hanau, Thor. EPILOGVS, Carmine Heroico sum-
 mam Christianorum sapientiam esse Christum probabit,
 gratias persolvet Auditoribus, iisdemque dies festos fe-
 liciter evenire debita reverentia iubebit.

